

302. II, 3-41 — Carta do cardeal Moronus a D. Sebastião sobre o Concílio Tridentino. 1563, Agosto, 24. — Papel. 2 folhas. Bom estado. Selo de chapa.

Serenissime rex

Binas accepi eodem tempore majestatis tuae literas, alteras quidem
xx alteras vero xxlij Julij datas, utrisque hac una epistola respondebo.

Non possum dicere quam mihi gratus sit majestatis tuae erga amor,
qui in omnibus literarum suarum partibus se se ostendit. Quod vero mihi
gratulatur de mea concilij legatione projecto non ibidem gratum esse
potest. Hoc enim negocium et per se difficilimum est, et mihi tanto oneri
sustinendo non admodum idoneo longe sit difficilius.

Tamen Dei bonitate fretus et reverendissimorum collegarum pru-
dentia non despero rem ex bonorum sententia successuram, et certe ad
ea quae hic tractantur peragenda non parvi momenti est lusitanorum
omnium, qui tuo jussu huc profecti sunt, doctrina, et probitas, quae
omnibus in rebus nobis praesto est. Praecipue vero illustrissimi domini
Ferdinandi Martiz Majestatis Vesta oratoris, qui ita prudenter, et pie
in hoc concilio se gerit, ut nihil supra, et quamvis omnes legati, aut
potius omne concilium plurimum illi debeat, ego tamen ita ab eo amor,
et observor, ut privato etiam nomine tantum illi sim devinctus, quantum
cui maxime, atque hominis ingenium, et mores ita magnifico, ut quamvis
majestatis tuae non esset orator, non possem tamen illum summopere
non amare, addito vero ad ejus singulares virtutes quod protegerit
munere, necesse est, ut illum colam, etiam atque observem.

Atque utinam ejusmodi homines quales missos a Majestate Vesta
et a serenissimo parente suo cognovi Romae semper, et in conciliis,
regum legationibus fungerentur, profecto res essent meliori loco, sed
nolo hac in parte longior esse domni Ferandi (*sic*) (*1 v.*) ipsum et suo
et majestatis tuae nomine amo plurimum, et probo, ac poterit ille suo
jure semper non modo expectare, sed etiam ut debita a me exigere
quaecunque ab amicissimo homine officia expectari, et exigi possunt.

Rogarem majestatem tuam, ut dicto oratori causam concilij et rei-
publicae christiana, Sedemque ipsam Apostolicam diligenter commen-
daret, sed ille sane ita se gerit, ut nullum neque admonitionibus, neque
precibus nostris relinquat locum. Quod vero ad patrem Franciscum Ferre-
rium pertinet, si verum licet fateri, aliquanto priusquam majestatis tuae
acciperem literas cum cognitum habebam, et singulariter amabam, neque
enim ejus virtus, et doctrina ea est, ut diu occultari possit, tamen tua
diligente commendatione maximus ad amorem meum accessit cumulus,
est ille profecto qualem tu praedicas, neque ego solus, et majestas tua
hanc de eo opinionem habemus sed universum hoc concilium eum probat,
et laudat maxime ac neminem habet, quem illi anteferat, sive morum
elegantiam, candoremque animi, atque humanitatem, sive omnimodam
presertimque sacrarum literarum scientiam, aut linguarum cognitionem

spectes. Sed doleo ego non posse me in illo ornando majestati tuae ostendere quanti illum, et tuam commendationem faciam quod vero possum id libentissime totum praestabo, hoc est omni hominem benevolentia, totoque animo compleetar, et quantum ipse voluerit eum familiarem habebo. Quod vero superest, hoc est ut aliquis illi sua virtute, et pietate dignus honor habeatur, id a Majestate Vestra in primis praestandum, (2) et ita fore speramus omnes et optamus.

Valeat serenissima Majestas Vestra quam Deus optimus diu faeli-
cissime augere, et nobis et reipublicae christianaे incolumem servare
dignetur.

Tridenti die xxiiij Augusti 1563.

Serenissimae Majestatis Vestrae

Humilimus servitor
Johanes cardinalis Moronus